Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



6m

liter amonendi sunt incolumes aliter egri. Amo
nendi sunt incolumes. Ut salutem corporis exerceant
ad salutem mentis ne si accepte incolumitatis gratiam
ad usum nequitie inclinent. dono deteriores fiant
et eo postmodum graviora supplicia mereant. quo nunc largio
ribus dei donis male uti non nequiunt. nec metuunt. Ammo
nendi sunt incolumes. Ut oportunitatem salutis imperpetuum
promerende despiciant. Scriptum namque est Ecce nunc tempus
acceptabile. ecce nunc dies salutis. Ammonendi sunt ne placere
deo si cum possunt noluerunt. si voluerint sero non possint.
Hinc est enim quod post sapientia deserit. quos divinitus renu
entes vocavit dicens Vocavi et renuistis me / extendi
manum meam et non fuit qui aspiceret / despexistis omne con
silium meum. et increpationes meas neglexistis. ego quoque in
interitu vestro ridebo / et subsannabo cum vobis quod timebatis
advenerit. Et iterum dicit. Tunc invocabunt me et non ex
audiam. mane consurgent et non inveniet me. Salus
itaque corporis quando ad bene operandum accepta despicitur.
quanti sit muneris amissa sentitur. et infructuose ad ultimum
queritur. que congruo concessa tempore utiliter non habetur. Unde
per salomonem dicitur. Ne des alienis honorem tuum. et annos
tuos crudeli. ne forte impleantur extranei viribus tuis. et la
bores tui sint in domo aliena. et gemas in novissimis quando
consumpseris carnem et corpus tuum. Qui sunt a nobis namque alieni
nisi maligni spiritus. qui a celestis patrie sunt sorte separati. Quis
vero honor noster est nisi quod etiam in luteis corporibus conditi
ad conditoris tamen nostri ymaginem et similitudinem sumus creati
Vel quis alius crudelis est nisi ille apostata angelus. qui et
semetipsum pena mortis superbiendo pertulit. et inferre mor
tem humano generi etiam perditus non pepercit. Honore itaque
suum alienis dat. qui ad dei ymaginem et similitudinem
conditus vite sue tempora malignorum spirituum voluptatibus
administrat. Annos stilicet suos crudeli tradit. qui ad voluntatem
male dominantis adversarii accepta vivendi spatia expedit.
Unde bene subditur. Ne forte impleantur extranei viribus
tuis et labores tui sint in domo aliena. Quisquis enim per